

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2929

Auteur(s) : Robert Bertran [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255

Lieu d'émission : Caen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Bertran, chevalier, confirme à l'abbaye de Saint-Ouen la dîme de ses forêts de Bricquebec et de sa haie de Magneville, avec les droits de ce monastère sur Bricquebec, Magneville-en-Cotentin, Notre-Dame du Vrétot et Saint-Pierre de Surtainville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, Bricquebec, n° 33, p. 220-224.

Texte établi d'après a

Erga abbatem et conventum sancti Audoeni Rothomagensis.

Ego Robertus Bertran, miles, filius quondam Roberti Bertran, militis, et nobilis mulieris Johanne, de Tureio domine. Notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod cum dubitatio orta esset super quibusdam decimis, juribus et redditibus que religiosi viri, abbas et conventus sancti Audoeni Rothomagensis dicebant se debere percipere ex collatione predecessorum meorum, ad usum et sustentationem monachorum in prioratu Beate Marie de Bello Monte in Algia servientium ; nolens quod super hiis ulterius ambiguitas oriatur, presenti carta declaro, volo et concedo quod dicti abbas et conventus ad usum predictorum percipiant in perpetuum pacifice et quiete in puram et perpetuam elemosinam decimas omnium forestarum meorum de Briquebec cum pratis, deffensis, essartis et plesseiatis, et haie mee de Magnavilla, cum aliis haiis meis, videlicet decimas venditionis omnium predictorum nemorum et pasnagium tam denariorum quam porcorum omnium ad me devenientium tam ratione pasnagii quam ratione partitionis hominum meorum et brotagii et motonagii frumentorum, gallinarum, avenarum, ovorum, videcotorum, carbonariorum, cinerum et omnium herbagiorum, et decimam omnium forestagiorum meorum sive ad bladum, sive ad denarios tradantur ad firmam, sive in manu mea teneantur, et generaliter universorum et singulorum exituum et proventuum ad me et heredes meos occasione forestarum et hayarum ; parcorum, essartorum, deffensorum, plesseitorum quacunque ratione provenientium, exceptis bestiis silvaticis et bestiis forestariis, et exceptis bonis mobilibus et immobilibus hominis seu femine condempnatorum ad mortem, preter hec dona quedam dictis abbati et conventui facta a predecessoribus meis ad usum predictorum monachorum. Eisdem confirmo et concedo que ad majorem declarationem duxi propriis nominibus exprimenda, videlicet ecclesiam sancte Marie de Bello Monte in Algia cum omnibus pertinentiis suis et presentationem ejusdem ecclesie ; ecclesiam sancti Stephani de Tilleio et presentationem ejusdem ecclesie ; ecclesiam de Pema-Pice similiter ; ecclesiam de Magnavilla in Constantino similiter, et in eadem villa triginta acras terre ; duas garbas Sancte Marie

de Briquebec cujus presentatio michi et heredibus meis remanet ; et in eadem villa predictis monachis triginta acras terre ; ecclesiam Sancte Marie de Ouvritot et presentationem ejusdem ecclesie, in eadem villa triginta acras terre ; ecclesiam Sancti Petri de Surteinvilla similiter, et in eadem villa triginta acras terre ; ecclesiam Sancti Clodoardi similiter ; ecclesiam sancti Petri de Torgovilla similiter ; et in ecclesia sancti Stephani de Honeflue quatuor libras annuatim, cujus presentatio michi et heredibus meis remanet ; ecclesiam sancti Georgii de Fliqueflue cum omnibus pertinentiis suis et presentationem ejusdem ecclesie, et in eadem villa census cum omnibus pertinentiis que ibidem possident ; et ecclesiam sancte Marie de Veteri-Herbertot similiter ; et in prefectura mea de Penna-Pice quadraginta solidos ; et in prefectura de Ronchevilla, quadraginta solidos ; et in censibus de Penna Pice, decem solidos ; et in prefectura de Honefleu, octo libras ; de theloneo de Fauguernon, decimam ; et in granerio de Fauguernon, tres sexteria avene, et pratum de Alnetis sicut dividitur ; et unam fossam in Chosti (sic) piscatoriam et sallam de duobus meis ; ibidem decimas de Bretevilla et de Brunvilla et de Buschierville et de Noeroles, cujus presentatio ad me pertinet, et de Rotis et de Branvilla et de Claro Becco, sicut antecessores mei eas dederunt et predicti monachi eas possiderunt ; et duas garbas sancti Johannis de Barnevilla et Sancti Philiberti de Campis et sancti Renoberti de Fauguernon, quarum ecclesiarum presentationes ad me et ad heredes meos pertinent. Dedi etiam is duos vavassores Gocelinum et Hosbertum. Et sciendum est quod capelle sancti Michaelis de Ronchevilla et de Fauguernon michi remanent. Et preterea concedo et confirmo decimam molendini de Bernobec, et decimam molendini tanarii de Briquebec, et decimam nundinis santi Pauli et Venoiz cum omnibus pertinentiis que de meo feodo sunt.

Cum autem contentio esset inter predictos abbatem et conventum et me super straminibus quarumdam decimarum, videlicet de Surteinvilla, Magnevilla, Ovrivot, Briquebec, Buschierville, Sancti Philiberti de Campis, Sancti Renoberti de Fausguernon, Noeroles, Bretteville, Bronville ; quito eisdem et remitto simpliciter jus quod dicebam me habere in straminibus omnium decimarum quas habebant in locis proximis dictis, excepto stramine et foragio tricturato omnium decimarum suarum de parochia de Briquebec. Quod de voluntate ipsorum ad usus meos et heredum meorum retinui de quo stramine poterimus facere, donando vel vendendo, nostram plenariam voluntatem. Ita quod nec ego nec heredes mei possumus in straminibus dictarum parochiarum, excepto stramine de Briquebec, in posterum aliquid reclamare. Volo et concedo quod ipsi percipiant decimas venditionis in nemoribus meis de Fauguernon, cum ea vendi contigerit, et pasnagii ; sed in ceteris decimis eorumdem nemorum nichil poterunt reclamare, salvo jure suo quantum ad decimas bladi, si dicta nemora vel partem eorum redigi contigerit ad culturam. Concedo etiam priori et monachis Sancte Marie de Bello Monte in Algia quod singulis diebus habeant in haia de Tilleio, duos equos ligna deferentes ad manerium suum ardere, ligna etiam ad edificandum domum Sancte Marie de Bello Monte, et ad molendinum faciendum, et ad plastrum et ad oratrum et insuper fagum unam ad Natale Domini et unam ad Pascham et unam ad Assumptionem Beate Marie, unam ad festum Omnium Sanctorum, et decimas hayarum de Tilleio et Honefleu sicut percipere consueverunt, volens et concedens ut si fortè predicti monachi vel successores eorumdem decimis, juribus, redditibus non utantur vel aliter quam debuerint utantur minus inde recipiendo, nullum eis ex hoc prejudicium in jure suo vel possessione generetur, nec michi, nec heredibus meis jus aliquod adquiratur. Ita quod de obmissis per negligentiam vel oblivionem, salvo jure predictorum religiosorum super principali, nulla tenus eisdem tenebimur respondere. Et ut predicta omnia rata et inconcussa permaneant, in testimonium predictorum sigillo meo presentes litteras sigillavi. Datum apud Cadomum, anno Domini M°. CC°. L°. quinto.